

mentis : sed ex rancidis & anilibus fabulis , Sum-
mistas & Scholasticos proferre manifestum est.

110. Qui tamen ne ipsi quidem invicem consen-
tiunt. Alij enim sic colligunt : Sacramenta sunt
medicinæ spirituales : Atqui septem sunt diffe-
rentiæ morborum spiritualium. E. Septem erunt
Sacramenta.

111. Alij ad septem dona Spiritus sancti respi-
ciunt. Alij confugiunt ad tres virtutes Theologi-
cas, & quatuor virtutes cardinales, quæ conjunctæ
septenarium efficiunt. Alij (Rationale divino-
rum officiorum) septem inquit sunt gradus pro-
cessus vitæ humanæ : Congruum igitur, ut sep-
tem sint Sacramenta.

112. En verò miros Pythagoricos, ex numero-
rum analogia, Articulos fidei stolidè, inscitè, ri-
diculè confingentes.

113. Nos ex eadè logica sic argumentamur : V-
nus est Deus : E. unum erit Sacramentum : Aut
duæ tabulæ Decalogi : E. & duo Sacramenta :
Aut : Tres sunt personæ divinitatis : E. tria Sa-
cramenta : Aut quatuor cæli plagæ : E. quatuor
Sacramenta : Aut, octo : quia octo animæ serva-
tæ in diluvio : aut quatuor vel quinque millia ;
quia tot hominum chiliadas Servator miraculo-
sè paucis panibus pavit. Matth. 15. 38. 16. 9.

114. Et mirum profectò videri debet, cur lotio-
nem pedum inter Sacramenta Pontificij non re-
tulerint, quam Christus suo exemplo instituit :

Ioh.